

Etenim ab ἀσώτῳ crimine ipsum fuisse alienissimum, nemo nostrum ignorat. Et licet publicis ac privatis conventibus hilarioribus nonnunquam interesset, naturam quippe amans societatis, & amicorum congressuum: & ob miram sermonis gratiam, quibus condire epulas perpulchrè solebat, præsentia ipsius ab omnibus expetere- tur; nunquam tamen temporis ac modi suam personam suoque officio digni, rationem neglexit: nunquam genio ita indul- sit, ut vel latum unguem à temperantiae limitibus dilaberetur, aut postridie ad destinatos officij labores minus paratus accederet.

Quid Moderationem animi & Mansuetudinem ejus vobis commemorem, auditores? Notior ea illis est, qui ipsius consilia omnia ad concordiam directa fuisse, testari pos- sunt; quiq; singularem ejus dexteritatem in conciliandis litigantibus, cum in consistorio Ecclesiastico, tum alibi, sunt admirati: quam ut istarum virtutum prolixiori commendatione suis detinendi diutius. Vel scripta ip- sius edita, hunc animum ejus ad vivum exprimunt: in quibus ipsum non Thersitica invehendi rabie, sed Chri- stiana moderatione, & erudita gravitate & modestia usum fuisse videmus.

Sed nec illud à me explicandum esse puto copiosi- us, quantopere à litibus abhorruerit DOCTOR hic no- ster LOBECHIUS. Ut enim altercari & rixari nulli probo convenit: ita multò magis Episcopum dedecet. Pauli ergo præceptum semper ob oculos habuit: *Servum Do- mini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, tolerantem cum mansuetudine malos &c.*

Nil minus πλεονεξίαν seu φιλαργυρίαν detestabatur LOBECHIUS: cujus rei vel hoc nobis sit indicium, quod conditiones alias non paucas, proximis ipsi an- nis oblatas, easq; splendidas, repudiarit, suaq; sorte